ne forte peniteat ⁊ recedat ⁊ error nouiſſim⁹ peyor priore fiat Metus iſte ut eſtimo ex defectu quidē xpiane fidei et dilectōis diuine creat᷑· nā mūdo offerētes filios et filias nūq̄ timēt ꝙ peniteāt Nōs cū certū ſit ꝙ mōus eos ab-iciat· qñ ſibi inutiles fuerit effecti Quō aūt ꝓbabile eſt ꝙ iſte paſtor bonā ouē ſibi oblatā. ⁊ ad ſe deuote fugien-tez aliquomō dēlinquat. qui etiā ꝓ illis q̄ a ſe receſſerūt liberādis morte turpiſſima voluit ꝯdēnari Mater q₃ fili orū zebedei affuit dño crucifixo. q̄ iā añ ab ip̄o filijs ſuis ſeſſionē i regno poſtulauerat. que q₂ inordinate pecierit filij ipſius audire meruerūt Neſcitis q̄d petatis. ut ergo adiſceret quo pacto filijs ſuis ita gloriā petēt ut obtinēt Idcirco bñ patiēti aſtitit. q₂ ſine paſſiōe xp̄m regnaturꝫ putauit ꝑfecto toti mūdo clareſcēt. ꝙ via regia ad illam gloriā ⁊ ſemitā cōpedij ignominia paſſio eſt. hic ſaluator ait Beati eritis cū vos oderint hoīes· ⁊ alibi ſcriptū eſt Per multas tribulatōnes oportet nos intrare regnum dei Proptēa igit᷑ rctūs eſt ordo. p̄mo cū xp̄o in cruce ſta re. poſtea ad dextrā ⁊ ſiniſtrā in regno celorꝫ ſedē. nec tñ aduc ſūt ꝯdigne paſſiones hui⁹ tp̄is ad futurā gloriam que reuelabit᷑ in nobis Sed illa dulcis ⁊ deuota diſcipu-la. dū ihesu ſuſpenſo magiſtro aſtitit. ex cui⁹ ore quondā audierat Remittunt᷑ tibi peccata tua Sed quid putas obſecro q̄d ibi fecerit aut quō ſe habuerit cum pietates q̄s circa illā dñs exercuerat ad mentē reducēt. ⁊ ad illō crudele ſpectacl'm oculos eleuaret O amoris et peniten cie ſpecl'm maria Ecce pedes q̄bus oſcula impreſſiſti. pe des quos lacrimis lauiſti et capillis terſiſti Ecce pedes inq̄ ſecus quos ſedē cōſueuiſti ad audiendū verbū domi ihesu Uide nūc q̄ inhumane ꝑſecuti ſūt· q̄ crudelit᷑ cru-ore ſacro ꝑfuſi ſūt Ecce deuota diſcipula. ecce magiſter tuus. ecce feruida amatrix· ecce dilect⁹ tuus. ecce defen-ſor tuus. quis te deinceps ꝯtra phariſeū defendet. q̄s ꝓ te pugnabit ꝯtra diſcipl'os. quis te poſt excuſabit ꝯtra

marthã tumultuantẽ. q̃s te deinceps vocabit ad ſe Ma giſter inq̄ adeſt et vocat te cũ eſſes in ciuitate peccatrix mltos forte habuiſti amatores ad quos ↄfugẽ poteras quib⁹ omibus delictis iſtũ tibi ſapient tanq̄ ptẽ optimã elegeras. ⁊ vtiqȝ ſufficit tibi cũ eſſes ſecũ ſȝ ecce cũ oẽs tibi in faſtidiũ vſi ſũt pter iſtũ Ecce nũc etiã iſte recedet a te. ⁊ nũc orphana quid facies ad quẽ ibis. q̃s deiceps curã tui ſuſcipiet: mũdus te nõ curat ⁊ merito qȝ nichil tibi mũdi hui⁹ cura eſt Si aũt in bethaniã redies ad p' pria. duplicabit amaritudo tua ex memoria tanti hoſpi' tis Quid ergo fiet de te nõ video melius q̄ q̄ ſtes iuxta crucẽ ut ab vna pte ſtet maria vgo ſpeclm innocẽtie ab altera vero ſpeclm peccatoꝝ penitẽcie ⁊ teſtis diuine mi ſcdie Hec ſũt em̃ illa fortaſſis ſpecula de quib⁹ in Exod xxxvi. ſcriptũ eſt fecit moiſes labiũ eneũ de ſpecul' muli erũ. q̃ excubabãt in oſtio tabernaculi federis Oſtia ta' bernaculi ſũt vulnera dñi ihũ. mulieres excubãtes i his oſtijs ſũt maria mat et vgo ⁊ maria peccatrix vulnera inſpiciẽtes. et in ipis vulnerib⁹ lauatoriũ eneũ ↄficit. qñ de exemplis coꝝ doctrina ſal'uatoris colligit cui⁹ ſonus exiuit in omnẽ terrã Stãt ergo decent ſil' ⁊ mirabilit hic vgo hic peccatrix in medio aũt iheſus Jhũs vna ⁊ eadẽ morte ⁊ ↄſeruator vginis ⁊ purificator peccatricis Bñ ergo ⁊ optime maria iuxta crucẽ inuenit vt ipa videat et omib⁹ nobis pateat ad. quantã gratiaꝝ actõȝ peccator crucifixo dño ſit obligat⁹ Cũ em̃ aliquis alteꝝ ſibi valde obligare intẽdit. munus ptioſũ ſibi ↄfert Et dicit accipe hoc gratis. o amice de mea bona voluntate q̄ ego mille auri talẽtis cõpaui Quis in hoc mõo efficacior modus obligãdi amicũ põt inueniri adũtite Et aduc i infinitũ ex cellẽtiorem modũ vobis demõſtro Ecce em̃ dñs iheſus nõ auro ſed ſanguine indulgẽtiã emit magnitudie. ⁊ illi que peccata ipa cõmiſerat nichil dicit niſi remittunt tibi peccata tua O amicoꝝ optime gloria vtus ⁊ gratiarũ

actio ſic doce nos obſecro peccatores gratias tibi cōdi-
gnas referre. qꝛ ſine te nichil poſſumꝰ facē. Quis ange
loꝝ vł hoim cogitare auſus fuit ꝙ tāta dilectio. tātaqꝫ
dignatio etiā poſſibilis fuerit. donec ꝑ te ⁊ ipm̄ exhibita
eſt mōdo Stabat ergo nō incōgrue iuxta crucē ihū. ⁊ io
hānes euāgeliſta qui ꝑcedēti veſpe ſupra pectꝰ eiuſdē dm̄
oblata quiete recubuit. vbi ⁊ ſecretū traditoris ſibi reue
lauit Et ecce familiaritatis illiꝰ dulcedinē turbatio ſeq̄t
et extrema gaudij illiꝰ luctus occupat Quam re famili
ares amici dei plene inſtructi ſunt ne indignari aut deſpe-
rare debeāt ſi qn̄ eis interne illiꝰ dulcedinis deguſtatio
ad tēpus ſubtrahit cū nulli mortaliū in hac vita tali gu
ſtu ꝯtinue ac ſine interpolacōe ꝑfrui ut arbitror ſit ꝯceſſuꝫ
Qđ lucidiꝰ intelligimꝰ ſi dulcedinis illiꝰ radicē ⁊ ramū
ꝯſidēmus Eſt em̄ guſtus ille quedā ineffabił ⁊ ſuꝑni re-
gni gaudij ꝑlibatio. quā pater ille benignꝰ carioribus fi
lijs ſuis. nō nunꝙ etiā in hac vita cōmēdauit. ꝙ rctē vo
care poſſumꝰ aurā quandā. ⁊ quaſdā. ut ita dicā. ꝑmici
as felicitatis eterne: q̄bus deus ad feruidā inq̄ſitoꝫ illiꝰ
pleni ꝯuiuij inuitare intēdit eos q̄ ꝑticipes eiꝰ fieri meru
erūt Sūt ergo nōnulli q̄ poſtꝙ modicū illiꝰ dulcedinis
qn̄qꝫ guſtarūt: adeo magnos ſeipos reputāt. ut iuſti ⁊ u
tāt eſſe. ut in eo ꝙ paululū guſtarūt ſemꝑ ꝑſeuerēt. et id
circo quaſi ex quadā ꝯfidēcia tumultuātes deū quaſi infi
delitatis arguant: ⁊ ſemetipos ab illo delictos ꝯq̄rāt. ſi
qn̄ dulcedine quā ſenſerāt eos ꝯtigerat ꝑuari Hij nimiꝝ
errauit obliti iam ſūt quā ob cauſā guſtus ille fidelibꝰ in
hac vita indultus ſit Nā humilit adūtere dignarēt dul-
cedinis illiꝰ ꝑuacōꝫ ſibi tā infructuoſā frequent facerent
ut habitū nec dicā fructuoſiorē Hic ſaluator diſcipulꝰ ſu
is de ſuo receſſu turbatis ait Expedit vobꝰ ut ego vadā
Ad nos em̄ dn̄s venit in occulta dulcedine ⁊ oſtēdit q̄d
mēs ſcire debeat Et ad hoc recedit ut ſitim acuat. et in
uocatꝰ copioſus redeat Ad hoc venit ut menti indicet

de quo ſolo ſufficienciã hẽat Ad hoc recedit ut in ſemeti
pſas nob derelinquat. ut tanto ſe illi hõ deuotius hũiliet
q̃to videt ꝙ ſine illo omnino nihil valet Exquo patet ꝙ
mirabili q̃dãmõ iſte dñi receſſus q̃nq3 vtilioꝛ eſt q̃ ipſe
acceſſus Nõ bñ dñs ꝑ yſa declarat dicẽs Ad pũctum
ibi modicũ dereliqui te ⁊ in miſerationibꝰ multis ꝯgrega
bo te Si ergo dicet nos eſſe memoꝛes q̃ breuiter ꝯceſ‑
ſum fuit iohãni in ſinu dñi ihũ recũbẽ Et quid ꝑuo tꝑe
petrus aplus claritatẽ trãffiguracõnis vidit. quã cũ in
loco ſemꝑ optaret ꝑfrui dicẽs. dñe bonũ eſt nos hic eſſe
Dicit euãgeliſta ꝙ neſciuit quid dicẽt. Nõne ergo valde
ſuꝑbus eſt et nimis magnũ ſemetipm̃ reputat. qui ꝯtra
deũ quaſi iraſcit̃ et inter cohabitãtes impaciẽcie ſtimlis
agitat̃. ſiqñ iubilo ⁊ ꝯtẽplatõn ſua ad tꝑus vl'ꝑ deũ vl'ꝑ
hõiẽ fũit ſpoliatꝰ Tũc em̃ pꝛincipi aploꜝ ſtulte ſe p̃fert
cui gl'oſe reſurrectõis. nõ niſi vnꝰ intuitus eſt ꝯceſſus. ⁊
illũ ſũmi regis cubicularĩũ añire ꝯtẽdit. qui poſtq̃ modi
co ſpacõ in pectoꝛe dñi recubuit. ſtatim illud poſtea ꝑfo
rari lancea ꝯſpexit. et qui vidit teſtimõiũ ꝑhibuit. Ecce
ut cũq3 deſcriptũ eſt illud modicũ collegiũ q̃d btẽ ac ve
nerabili matri aſtitit iuxta crucẽ filij ſui. cuiꝰ pñtia niero
rẽ ſpecialẽ ſibi attulit nõ modicũ. cũ ex om̃ibꝰ caris ihũ
q̃tuoꝛ aſpiceret. ⁊ ceteros i locis ocultis metũ ⁊ deſpera
tõne laboꝛare iã cogitaret et ipſos qui pñtes erãt bñfi‑
cia filij ſui cũ fletu ⁊ lamẽto recitare audiret Sz mater
erat oim et idcirco vices oim dolere debuit. et iuxta no‑
mẽ ſuũ amaritudines bibẽ. ut impleret̃ in ipſa q̃d in Ec
cleſiaſte ſcriptũ eſt Om̃ia flumina intrãt mare. et mare
redũdat Impetus quippe amaritudinis in maria iuxta
crucẽ ſtante influxit illa nõ deficit. q2 v̓tus altiſſimi que
quõdaz ſibi obumbꝛauit ut ꝯciꝑet Nunc illã ſuffulſit ut
conſtãter ſuſtineret. vbi et pctõꝛes foꝛte poꝛtare didicit
quoꜝ q̃plimos uſq3 ad decrepitã etatẽ ſuſtinuit ⁊ ꝑturi
uit donec foꝛmaret̃ xp̃s in eis Quid aũt inter hec agerz

dn̄s crucifixus audiát vniūſi. Cū vidiſſet ihūs matrem
et diſcipulū quē diligebat Ecce legiſlator antiqu⁹ qui le
gem nō venerat ſoluē ſʒ adimplē. Legē quā olym de ve
nerandis pn̄tib⁹ ipſe ꝯdiderat. nūc impleuit. dū eſſet em̄
iunior honorauit p̄ om̄ia pn̄tes ſicut ſcriptū eſt. deſcēdit
cū eis in naſareth ⁊ erat ſubdit⁹ illis ſcʒ marie ⁊ ioſeph
Nunc aūt pater putatiu⁹ mortuus eſſe credit. et idcirco
matrē ſupſtitē honorat honore quo maior excogitari nō
potuit Diſtēſus em̄ in cruce ⁊ vltimo ſpū iā ꝯſtitut⁹. cū
nullū mēbroꝝ ſuoꝝ liberꝝ hn̄et vſum. exceptis ocul' ⁊ lin
gua. de vtroqʒ hoꝝ ſuire matri dignatus eſt reſpiciendo
ſcʒ ⁊ alloquēdo Cū vidiſſet matrē dicit matri ſue Ecce
filius tuus Et ꝯgrue i toto em̄ hūano corpe efficacōres
nūcq̄ ſūt oculi ⁊ lingua Que vtraqʒ ad matrē dirigit ut
pfecto indicaret ꝙ ipſe eā geſtaret in ſuo corde Jam de
mōdo exiens. que eū in ſuo ſuſcepit corpe intrantē in mū
dū Sʒ libet ſeorſū viſioni ⁊ ſeorſū allocucōi huic aliꝗtu
lū immorari Cū vidiſſet inquit ihūs matrē Merito ma
trē cū pati inſpicit. qʒ illud qd̄ pati poterat ex ea traxit.
Olym iſta mater venerabil' hūc filiū ut in nuptijs vinū
miraculoſe mōſtraret rogat dicēs Vinū nō hn̄t At ille
matri oſtendens ꝙ opa diuinitatis ex ea nō ꝯtraxit ſed a
pr̄e accepit rn̄dit Quid mihi et tibi eſt mulier. q. d. In
hijs que miraculoſe opor tecū nihil cōmūe habeo. ꝗ ſta
tim cū paſſus eſt ſcd̄m id qd̄ a matre hēbat on̄dit ſubin
ferēs Nōdū venit hora mea. hora. ſ. paſſionis quā paſ
ſur⁹ ſū in corpe qd̄ mihi eſt a te Ecce nūc iſta hora venit
Mater aſtat q̄ corpus dedit Jdcirco moriēs cōgrue eā
inſpicit. de qua corp⁹ illd̄ i quo mori poterat accepit Me
rito eā inſpexit dū in alto ſcʒ i cruce ſtetit qʒ ipſa mortaliū
hūilima fuit Tales aūt deus de alto ꝯſpicit ut in pſ̄ ſcri
ptū eſt Quis ſicut dn̄s deus noſter qui i altis habitat ⁊
hūilia reſpicit ⁊c Merito em̄ inſpicit Sʒ in illo tpe nil p̄
tioſius nil glo'ſi⁹ hūit fili⁹ Jgit̄ q̄ gl'aʒ tantā i mrēʒ poſu

it.ut oim creaturaꝝ ocul⁹ eſſet delectabil'.intm̄ ꝙ etiam ſūmis ſpiritib⁹ eā cū tripudio inſpicē deſiderātibus dicat̄ in canticis cāticoꝝ. Quid videbitis in ſunamite niſi choros caſtroꝝ. pocius debuit eā inſpicē ꝙ alij. pictoꝝ more uel ꝯſuetudinē obſeruātes. qui ſibi qn̄ pulcrā ꝛ excellētem ymaginē fecerūt ipi eā ceteris inſpiciētibus delectabilius ꝯtēplant̄ Oīmis em̄ artifex cōplacet ſibimet in eo ꝙ bn̄ opatus fuit Merito eā inſpicit qꝛ fideliſſima mater fuit De talibus aūt in Jēmia ſcriptū eſt Dn̄e oculi tui reſpiciūt fidem Merito quoqꝫ matrem vidit filius qꝛ ibi ſtans paupꝛima fuit. cū vſqꝫ tūc nihil habuit niſi filiū illū. quē ꝓ diuicijs omībus cōputauerat Et ecce iā illum amittit ꝛ ſtat ſola paupcula ꝛ tota deſtituta gemitibus plena De talib⁹ aūt yſa. dn̄s ait Sup quē reſpiciaꝫ niſi ſup hūilem et quietū. paupem ꝛ ꝯtritū ſpū et tremētem ſermones meos Merito eā inſpicit qꝛ valde dilexit Et ſicut verū eſt vbi doloꝛ ibi manus. ſic vbi amoꝛ ibi ocl'us Uidit ergo ihūs matrē O vere ſtupendū viſionis ſpectaculū O gemendū certamē oculoꝝ. qd̄ vidiſſes i ocul' dn̄i ihū ſi vno eodqꝫ momēto illi beati oculi feſtinabant ad moꝛtē. ꝛ ſeſe retoꝛqbant ad matrē virtus oīs moꝛtis iam claudebat ꝛ impellebat ad defectuꝫ vis amoꝛis eius apuit ad matris aſpectū Jaꝫ aīa illa ſacroſancta ab oculis ſe cepit abſtrahē. et ipſi pallētes ꝛ ſemiuiui oculi a dilecta matre illa ſe nō valent ꝯtinē O btā ꝛ bn̄dicta int̄ mulieres oīs ꝙ intime et ineffabiliter a dn̄o dilecta es ſup ſalutē et oēmꝫ pulchꝛitudineꝫ Sed qd̄ creditis frēs quid inter hec illa mulier fecerit cū ſurſū aſpiceret. et de hoꝛrēdo crucis patibulo filium moꝛientem ſimul et ſe inſpicientē videre quid putas quid cogitauerit. ꝙ plena ſingultibus fuerit. cū ocul' lacrimoſis intueret̄. oculos liuidos innocētis filij ad ſe directos O vere ſtupendos radios viſionis O ſanctiſſima lumīa matris ꝛ filij. ad quorum mutuū conſpectum nō immerito ſolis radius in te-

nebras ꝯuerſus eſt · ꝙ ꝓfunde infixus eſt radi⁹ hui⁹ vi/
ſionis in corde tuo mater ſācta . quo mūdi dn̄s te iam
moriēs intueri dignat⁹ eſt Ecce dedit tibi amoris ſagit
tā.quam a te miſſaꝫ accepat. Ipſe nāqꝫ dicit de te Vul
neraſti cor meū ſoror mea in uno oclorū tuorū.⁊ in vno
crine colli tui . Tu aūt nunc dicē poſſes Vulneraſti cor
meū fili mi in viſione qua me in cruce aſpexiſti.⁊ colloq̄
o ꝙ mecum iam moriēs habuiſti Et ille fortaſſis eſt ille
gladi⁹ de quo ꝓphetauit ſimeon ad te dicēs Tuā ipſius
animaꝫ ꝑtranſibit gladi⁹. Morientiū quoqꝫ amicoꝝ ex
trema viſionis ſemꝑ intima cordis valde infigi ſolēt.di
cūt etiā ꝙ obliuioſa poſſem omniū q̄ circa me geſſit āic⁹
meus. Illius tamen aſpectus quo me tam fideliter eſt
intuit⁹.tamen cito exalaret ſpiritū.obliuiſci non poſſum
Si ergo fratres kariſſimi·mater dei ⁊ mater noſtra vi
ſionem illam in corde ſuo ſemꝑ geſtauerit q̄ſi ſagittā quo
modo nos adoptiui filij ſui ⁊ frēs crucifixi dn̄i memorā
dā illam viſionē obliuioni tradim⁹· Scripſit yſaias Vi
ſionem ſuā ob eternam memoriā dicens Viſio yſaie ꝙ
vidit ſuꝑ iudeā ⁊ ieruſalē.ſcribā⁹ ⁊ nos frēs kmi in cordi
b⁹ noſtris hanc viſionem qua vidit dn̄s ſuꝑ diſcipulnm
⁊ matrem·qꝛ ſi adūtimus tam ocul' ꝙ cordib⁹ valde eſt
medicinalis. quicunque enim oculos ſublimes nunctios
vanitatis et ſuperbie habetis viſionem hanc debetis ſē
per ad mentem reducere.qua inclinato capite mūdi do/
minus ad matrem aſtantem aperuit oculos liuidos et
ſōpno mortis propinquos Vos quoqꝫ qui oculos tru/
culētos habetis ⁊ obliquos ex iracūdia l' inuidia viſiois
hui⁹ recordemini qua innocens dominus non crucifix/
ores ſuos maligne ſed matrem ſuam benigne legitur
inſpexiſſe Sed et vos qui oculos habetis fixos et fic.
tos et nonnunquam nuncios impudicicie quibus ani/
mas illaq̄atis et veſtras et aliorum etiā ſi corꝑa inuio

lata permaneant cur ad tantam veſaniam veniſtis ꝙ
et videtis viſionis huius obliti eſtis Ipſe qui oculis ſin
ceris matrem vidit moriens aſtantem patibulo. ipſe eſt
qui fictos et impudicos intuitus luce clara reſpicit in an
gulo Cum igitur ſuaſio dyabolica carnis praua titillaci
o fortaſſe oculum impudicicie apit voluerit ob reuerenci
am huius glorioſe virginis et femine deſtitute quam fi.
lius ſuus turbatus oculis vidit ſtans in cruce et illum
omnia conſiderantem attendens vobis ipſis interim le-
gite illud canticorum En ipſe ſtat poſt parietē reſpiciens
per feneſtras proſpiciens per cancellos Cumq; igitur
dictum eſt Salomon noſter moriens de cruce matrem
vidit et diſcipulum ſtantem quā diligebat q̄ circumlocu
cione ſeipſum iohannes exprimit quid dixit audiāmus Ecce
filius tuus iuſtus quidē es domine Sed tn̄ aliquantulū
mihi loqui liceat ad te de hac finali commendacione ma
tris tue que valde mirabilis videtur Vidiſti eā cū iohā
ne Et dicis Ecce filius tuus Nos certe in ſcripturis nō
inuenimus tales aliquando fuiſſe tue viſionis ſequaces
Vidiſti petrum et andream et uocaſti eos Vidiſti pub
licanum et uocaſti eum dicens Sequere me Nunc autē
vidiſti matrem et tradidiſti eam alteri alterum aſſig-
nans loco tui dicens Ecce filius tuus Ad diſcipulum
Ecce mater tua Quid eſt hoc domine Ieſu fons pi
etatis et meſtorum ſemper conſolator Iſta ſola eſt ſu-
per mortales quo te nunquam offendit Iſta que de-
primo aſcenſu tuo in hūc mundum inſeperabiliter ti
bi adeſt et ecce tu mundum relinquis redis ad pa-
trem et hic illam derelinquis quid commiſit domi-
ne et non egrediantur tecum Ecce enim latronem
propter ſcelera ſuſpenſum aſſummis tecum dicens
hodie mecum eris in paradiſo quem ergo domine

matrem tuam in exilio derelinquis que dignior eſt
paradiſo quam latrocinio dignior quam omnis ho-
mo et ne hoc tibi ſufficiat alium quendam iudicas
filium dicens ¶ Ecce filius tuus Sed et tu virgo
ſanctiſſima quid inter hec feciſti credenda es Scimus
ꝙ vnuſquiſque id ꝙ ſibi de nouo datur intueri ſolet
nunquam et non reſpexiſti iſtum nouum filium qui ti-
bi datur Certe credo ꝙ ſic ſed oculis valde lacrimo-
ſis et ſingultibus profundis Ipſe quoque diſcipulus
te nouam matrem non inmerito reſpexit ad hoc ſiquidem
vterque noſtrum intuebatur a crucifixo dum diceret
¶ Ecce filius tuus Ecce mater vos eſtis enim che
rubim productiles qui ſe mutuo reſpiciebant verſis
vultibus ad propiciacionem. quia etiam inuicem intue-
bamini et ſimul ut opinor lacrimis in medio ſtantē cru-
cifixum aſpectum colūbino reſpexiſtis In hoc ſolo vos
diſcrepari video ab illis antiquis cherubin quos quon-
dam ſalomon iuxta archam conſtituit qui videlicet ille
habuerunt eleuatos quaſi ad iubilandum vos a iubilo
nunc longe exiſtens vultus habetis ſuffuſos pretriſtia
querulos lacrimis plenas et inebriatas Quales fuerunt
lacrime obſecro tamen audires ex ore morientis hieſu
mulier Ecce filius tuus Cum acceperis ſeruum pro
domino diſcipulum pro magiſtro piſcatorem pro deo cō-
ſanguineum pro vnigenito iohannem pro hieſu xpriſto
quid hoc audiens dixiſti ſanctiſſima virgo Heu neſcio
quid dixeris Sed ſcio quid dicere poteris potuiſti que-
reloſa uoce non immerito dicere O flebile concambi-
um O uos omnes qui pie geſtatis viſcera attendite
quia hieſus meus recedat a me in ſpē illa mortali faciat
illam dilecti filij non contemplabor amplius et ecce fili-

us ꝙ tradidit pro ſe ꝙ intuens clara voce comprehen-
det non eſſe ꝙ genueram Non eſt filius meus iſte qui
ſtat iuxta me ſed qui pendet ante me Non iſte meus eſt
qui ſtat hic ſanus ſed iſte qui ſtat confixus liuidus et ex-
agwis et ex proximo iam moriturus huius cognoui fa-
ciem quam ego lactaui et ꝙ paui ſacroſanctam carnem
hunc volo hunc confiteor meum eſſe filium hoc eſſe con-
tenta volo etiam mortuo dum illum recipiam a mortu-
is et reſurgentem Sed hec patuerunt eſſe verba geni-
tricis tue domine iheſu. Cur ergo alium tradis ſibi fi-
lium cum ipſa magis te acceptz mortuum ꝙ vitam om-
nium viuentium Sed ut hoc admirationem caret ꝙ
non ſolum non tradis ymmo etiam relinquis alteri
dicens ad diſcipulum Ecce mater tua Quid dicemus
ad hec An ita impius factus es domine ut noſtris cu-
rã gerẽ nõ velis An ita infirmus ꝙ non poſſes impieta
tatem a te omnis fides remouet omnis deuocio ab-
horret Impotenciam ergo oblegabimꝰ ¶ Quis ergo
ille fuit qui te in cruce affixit terrã cõmouit petram ſci-
dit monumẽta patefecit et mortuos reſuſcitauit velum
templi dilaniauit ſolis radios abſtulit Nonne domi-
nus hec fecit omnia et manus tua ¶ Certe videtis
fratres kariſſimi non ſolum ꝙ finalis recõmendacio
matris dei ſed ea que predicta ſunt admiracione mul-
tiplici plena eſt Que congrua valde iudicabitur ſi ra-
tio ipſius paulo diligentius inſpiciatur ¶ Conſiderã-
dum igitur per ordinem hic eſt Cur de hoc exiens
dei filius matrem illam poſt ſe reliquerit Cur relicto
tutorẽ deputauerit Cur eũdẽ ꝓcur̃torẽ q̃ huꝰ ⁊ ꝓcur̃tor
ꝯſtitutꝰ ẽ v̾ginis filius eiuſdem virginis deputatus eſt
inſpiciamus ¶ Migrauit de hoc mundo dominus ma-
trem illam venerabilez dereliquit pie ſimulat pulchre or-
dinat vterqz eccleſie porcõnem ut triumphans viuet et

militans viſibili ⁊ inuiſibili ſolatõ frueretur per xp̄riſtum Aſcendẽs em̄ i celum ſanctis angel' ⁊ aiab⁹ ſuam deitatẽ ſimul et hũanitatem perpetue contemplãdũ exhibuit ut ſic ingrediant̄ et regrediant̄ ⁊ i utroq3 paſcua inueniant Eccl'ie vo adhuc in terra militanti ſolaciũ quidem inuiſi bile ꝓmiſit quod in die penthecoſtis impleuit quãdo ſpi ritũ ꝯſolatorẽ cordib⁹ eoꝝ inmiſit Solaciũ aũt viſibile qđ ex corpali eius p̄ñcia habebatur fidelius iam ſubtra here voluit Et idcirco matrẽ eccleſie conſolatorem vite ſua dereliquit cuius caro ſi licet dicẽ eiuſdẽ ꝓdicõnis fuit qđammõ cum carne xp̄i ut dũ beati angeli in celis exul tantes inſpicerẽt illũ hominẽ fideles in terris intuerent̄ cũ gaudio eiuſdẽ hoĩs verã et indubiã matrez An non gaudioſum et ſuper quã dici poteſt ſolacõſum fuit femi nã quandã oculis videre carnalibus quẽ dũ inſpicẽs co gitari te oportuit ⁊ nulla rõne dubitare liceat q̄n ip̄a ha beret filiũ de ſua carne genitũ in celo iam corpaliter reſi dentẽ et celi ambitũ et tocius mũdi machinam ſuo nutu gubernantẽ Idcirco ut dictũ eſt iam ad viſitandũ illam dũ aduc in carne viueret fideles ꝯcurrebãt vndiq3 ut ſi cut nũc dictũ in celis ita tũc in terris impletũ ſit de ipſa. illud pš Sicut letantiũ oim habitacõ eſt in te Alia quo q3 rõn neceſſe fuit ut poſt filij ſui diſceſſũ beata v̾go i ec cleſia adhuc remanet ad tẽpus ut videlic3 de rudimẽtis fideles inſtruẽt maxime de hys que nulli mortaliũ niſi ſi bi ꝯſtare poterãt qualia fuerũt annũciacõ incarnacõ or tus et infantia ſaluatoris De alijs quoq3 geſtis eiuſdez deo ꝙ̄ ꝑtimis que et nõ ſola cognouerat ſed ceteris am plius in rõn recõmendauerat q2 teſtãte euãgelio. Ma ria ꝯſeruabat om̄ia v̾ba hec ꝯferẽs ea in corde ſuo. Nec ſolũ hoĩes ſed angeli per mariã didiciſſe ꝓbant̄ ad ꝙ ſcđm aliquã modũ neſciebãt Si em̄ incarnacõis miſte riũ quiđ ſupnoꝝ ciuiũ didicerũt p ecclesiam Sicut egre gius p̄dicator gentiũ ſcribit Ephes̄ dicẽs nec innoteſcat

principibus et poteſtatibus in celeſtib9 p eccliam multi-
formis igitr dei cū eiuſdez miſterij ſciētiam q̄ptū ad plures
articulos eccleſiā per mariā didicerūt Conſtat pfecto
q̄ nō ſolū hominū ſed etiam angelorum magiſter fuit
Sz q̄ glorioſius femineo ſexui ymo toto hūano generi
deus facere debuit q̄ ut iſe de mundo hoc exiens morta
lem quādam paupculam feminā in terra reliquerat que
eciam celi ciuibus noua quid et glorioſa xpmaret Gau-
deant femine eccleſie nūc dñm reſtitutū eſſe ymo amplior
eſt dignitas et gloria generis noſtri qd a prima femina
generis noſtri vſqz ad hanc de qua ſermo eſt inglorioſuz
fuit Illa a dyabolo decepta eſt hec angelos inſtruxit Il
la ut ait ſanctus Auguſtinus ſimul docuit et totum mū
dū ſubuertit Hec aūt fidei doctrinā tradidit que ſubuer
ti nequaq̄ potuit dño mirabiliter ordināte. ut ſicut dñs
eccleſie per feminā decidant. ita ſuper feminā funditus
ſtabilimētum ſempiternū accipiat Vacillare qd fluctib9
tribulacōnum et procellis hereſiū poteſt fides in aliqua
parte mūdi. ſubuerti penitus nequaq̄ Et qr om̄is here
ſis ex ea ortum habet q̄ a ſimplicitate fidei illius decliat
quā maria tenuit et docuit Idcirco ad laudem eiuſdē vir
ginis in eccleſia bene declamatr dicens gaude maria vir-
go cūctas hereſes ſola interemiſti Per hoc em̄ qd credē
dum ſimpliciter et credidit et docuit ſuo exemplo om̄em
dubietatem om̄em onoroſitatem. om̄em ſuperſticōnem
a fide exterminauerit et ſic om̄em hereſim interemit que
non de hijs deuiare conſumit Idcirco eciam virgo ma-
ter poſt filij ſui tranſitū in eccleſia remanere debuit ut ec
cleſiam inter vndas pſecucōnum valde fluctuantem ver
bo confortaret et exemplo Si em̄ hinc migrans dicens
matrē ſecum deduceret puſillus ille grex fideliū valde de-
ſperari potuiſſet reputans ne forte cariores ſuos ſecum
aſſumēs rectos eterne traderet obliuioni Sed qñ vide-
runt q̄ illam cariſſimā ſuam hic reliquit et relictam tri-

bulacōnibus atq3 defectibus expoſuit ſuas paſſiones ſi ne dubio equanimiterportare debuit. q̄ aūt vgo beata poſt filij ſui tranſitum multa aduerſa perpeſſa ſit. preci pue a iu deis Sanctus Ignacius teſtatur qui ad iohan nem euangeliſtam ſcribens ait Salome quā diligis fili am a me nichilominus quiq3 mēſibus cōmorans et qui dem alij noti referunt mariam ihū omniū gratiarū hu midantem et ōmibus virtutibus fecundā et dicunt eam in tribulacōnibus et perſecutionibus eſſe hylarem et in penurijs et indigentijs nō querulam. iniuriantibus gra tam et poſt pauca et mirū inquit ab omnibus magnifi catam a ſcribis et phariſeis ei detrahitur Qr autem in tribulatione non ſolum paciens fuit virgo beata Sz et alios roborauit patet in epiſtola quam ipſa vgo ſancto Ignatio ſcribit in hec verba Ignatio dilecto condiſci pula ancilla humilis ihesu criſti de iheſuq3 audiſti et didi ciſti a iohanne va ſunt illa credas illi inhereas criſtiani igit̄ nomē firmiter teneas et mores et vitam voto cōfir mes Veniam vna cū iohanne te et qui tecum ſunt vide re Sta viriliter et age in fide ne te cōmoueat pſecucōis auſteritas Sed exultat ſpiritus tuus i deo ſalutari tuo Poſt alia adhuc aſſignari ratio poteſt Cur dn̄s exiens matrem illam venerabilem manere voluerit videlicet ut alia vice de celo rediens glorioſius eam aſſumeret. fuit en̄ iſto die exitus ignominie exit amarius Idcirco beni gnus filius matrem hanc viam ſecū educere noluit q̄ ampliore fore dignā iudicabit Sed pie illam cū fidelib9 conſtituit manere donec ipſe precedēs ſolū ſibi glorie p̄pa raret qd iam diſcipulis et multo amplius ꝓmiſerat ma tri dicens Vado parare vobis locum Ipſa quoq3 inte rea munera cumulauit multa. quibus cum ad imperialez perfectōnis ſedem producta eſſet filius eius denuo cum ſupernis ciuibus rediens ad thronū glorie cum meſtima bili gloria conduxit Hinc beatus Jeronimus ayt Cre

ditur ꝙ ipſe ſaluator oīm q̄tū datur intelligi per ſe tot⁹
feſtinus occurret et cum gaudio eam ad tronum glorie
collocauit Quis cogitare poſſet q̄ glorioſe mūdi regina
mundi princeps proceſſit quanto deuocionis affectu to
ta in ei⁹ occurſu celeſtium regionum prodierit multitu
do q̄tum ad thronum glorie canticis ſit deducta non ſo
lo enī in hoc exilio matrem moriens criſtus dereliquit .
Sed et relictam alteri commendauit ut ſcilicet verecū
dia virginalis tutorem atq; pronam haberet . Sub
cuius cura hanc commodius duceret vitam quid dicis
nunc O vagabūda et inuecūda ꝟginitas ecce ꝟgo ꝟgi
num que iam inpeccabil' facta fuit curatorem accepit
cum autem nullius regnū curas libere vicos et plate
as luſtras ſine conſilio facis quecūq; occurrunt animo
et ſecuritatem chriſti in omni loco et negocio promittis
et amicos et conſortes eligis qui non placent deo ſed
qui placent oculis tuis Sed memento obſecro eiꝰ nimi
a libertas ſexus feminei et ma..me virginum nunquam
bonum exitum legitur habuiſſe Ergo audi et exaudi
obſecro meum licet peccatoris conſilium ymmo conſilia
ſanctorum patrum omnium qui de virginibus ſcripſiſſe
leguntur et nullam tibi cuſtodiam ſuperfluam reputes
in nullo tempore cum nullo hominum quātumcumque
bono ſecuritatem tibi promittas Sed et pauore ac tre
pidacione continua perſeuerans theſaurum inpreciabi
lem tue caſtitatis ad oculos conſtitue et abſconde tui
valde inſidiatur hoſtis antiquus depredari enim deſi
derat qui theſaurum publice in via portat Idcirco
dominus matrem alteri tradidit ut teſtamenti formam
et regulam nobis commendaret magnificam ¶ Mori
ens enim ſaluator ſic teſtamentum depoſuit ꝙ ſibi de
omnibus que habuit nihil retinuit Ita tamē ꝙ vni
cuique ſecundum propriam dedit virtutem et retinuit
ꝛ perfect⁹ eſt ſtatim tpalia eni q̄ amittebāt tāq̄ viliora

Jam dudū cōmiſerat iude traditori corpus ſuū diſcipl'
in ſacramēto tradidit Jpōs diſcipulos patri repreſentā-
uit. veſtes ſuas diuiſit militib⁹. corpus ſuū mortale cru
cifixoribus Ad huc ergo nō habuit niſi matrē ⁊ ipm ⁊
idcirco ut de omib⁹ ſe rite expediat ⁊ a ſuis nichil abſcō
dat matrez ỽginē ỽgini amico reliq̄d Et ſic ſpiritū poſt
omnia recōmēdāt patri Ecce forma rite trāſmigrādi de
hoc mōdo quā in cruce ꝯfirmauit ⁊ nobis reliquid ex quo
māifeſte pȝ ꝙſi q̄s deſiderat ſpm̄ ſuū ſalubrit' reꝯmēdare
deo ꝑus debet diligēter expedire ſe ab om̄ib⁹ q̄ ſibi recō-
mēdata fuerūt a deo ut poſt xp̄m nud⁹ egrediat' ſpoliās
ſemetipm̄ nō ſolū habitis q̄ ſecū educē nō poteſt ſed affe
ctu habēdi Hinc ad ezechiā dicit'. diſpone domui tue qꝛ
morieris tu. ⁊ villico iniq̄tatis dn̄s ait Redde ratōȝ vil
licationis tue iam em̄ nō poteris amplius villicare Ecce
ut cūqȝ audimi⁹ ꝙ̄ rite dn̄s ihesus matrē ſuā diſcipl'o cō
mēdauit ⁊ ſicut ſūmi reg is magnificētia altiſſimo cōmē
dat' in eo ꝙ matrē illā tā liberalit' diſcipl'o tradidit Jta
caritas ipius extollit'. in eo qd̄ eandeȝ matrē ipi diſcipulo
ſuo etiā inꝯpabili affcū ꝯſtruxerit nō appellās dn̄am io-
hānis qd̄ ad hoc nimie dignacōis fuiſſet Sed matrē ait
nāqȝ ecce mater tua. q. d. Eodē effectu eā dilige ⁊ vene
rare. eadē ꝯfidētia ab ea quicq̄d volueris poſtula: eādem
beniuolētiā ab ea expecta ꝙ̄ ſolet vnigenit⁹ a matre ſua
⁊ ad matrē ſuā Ecce filius tuus. q. d. Eodē effectu iſtū
diſciplm̄ dilige. eadē paciētia ipm̄ ſupporta. eadē diligētia
ſibi pinde q̄ſi vnigenitus tuus eſſet O miram ⁊ inauditā
pietatē O ꝙ̄ ꝑficuū ⁊ glorioſū eſt tuū eſſe diſcipulū dn̄e
ihū. quis em̄ principū hui⁹ mōdi ſeruis ſuis iſtū honorem
exhibuit certe mltaȝ referētiā fecerat phutifar egiptius
ſeruo ſuo ioſeph qui eū toti ſue poſſeſſiōi ꝑfecerat ſed tn̄
ſpōſam ſuā illi nō cōmiſit Sicut ipe ioſeph loquēs eideȝ
femine ait Ecce dn̄s meus omibus michi creditis igno
rat quid habeat i domo ſua ne qd̄cunqȝ ē qd̄ in mea nō

ſit poteſtate pret te que vxor eius es Pharoqꝫ rex egi-
pti eundē ioſeph honorauit Amplius ad hoc pficiendo
toti terre egipti. q̄ eū in domo regali voluit habē cōmu-
nē. ait nāqꝫ ad tui oris impiū ois ꝓplus obediat vno tm̄
regni ſolio te pcedē Noſter aūt dn̄s matrē ſuā ſuo dedit
reginā celi ſuo dedit nō i ſpōſā ſꝫ lōge mai⁹ i mrēꝫ Quis
em̄ ignoraret qđ maiorē ſimilitudinē ⁊ nobilitatē ꝯtra-
hit filius a matre ꝙ ſpōſus a ſpōſa Omnis em̄ poſſeſſio
matris hēditario iure trāſit ad filiū In eo igit̄ ꝙ xp̄us
celi reginā in matrē cōmēdauit Johānē ipm quodāmō
ſe alit ꝯſtituit ad reginā ꝯſortē ſe fecerat ⁊ ſic icōpabilit̄
honorauit Vn̄ patet ꝙ honorād⁹ eſt iſte diſcipulus toti
eccleſie qui cū mariam in matrē accipet q̄ſi ihesus cōſti
tutus eſt Et q2 nimis pcioſus thezaurus ſibi a crucifixo
datus. ſed ut iā audiui ut ꝓtremēda cōmotōe elemētoꝝ
q̄ facta eſt in morte xp̄i. ut ꝑ metu iudeoꝝ differt qđ da
tum eſt Sed ſtatim eaꝫ recepit ⁊ uſqꝫ in finē eā fideliter
cuſtodiuit Et hoc eſt qđ in euangelio concludit̄. et ex illa
hora accepit eā diſcipulus in ſua In ſuā intellige curā ⁊
ſollicitudinē · uel i ſuā matrē ⁊ dn̄aꝫ ſpecialē Alia nobis
rōne valde amabil' dn̄s ⁊ ſaluator mūdi dn̄s dignatus ē
appellare matrē diſcipuli ut ſcꝫ nob̄ peccatorib⁹ inſinuet
quā ſpem i illā habē debemus Nō fratres cariſſimi ha
bere ṗuilegiatū credē debem⁹ iohānē. q. ſolus ipſius fili
us adoptatiuus ſit marie Abſit quō implebit̄ ꝓphecia
dicēs mlti filij deſerte mai⁹ ꝙ ei⁹ que habet virū que ē em̄
hec deſerta niſi v̓go maria q̄ ſolitudinē dilexit ⁊ ſterilita
tem v̓ginitatis ꝯſecrauit. hec vnū filiū de celo ſuſcepit q̄
dū ab ea recedē vellet aliū ſibi ſubſtituit ne matnitatis
eius nomē. ⁊ racō diſceſſiſſe alicui videret̄ ſi ſine filio hec
remanſiſſet Poſt aliquātulū vero tpis. iſto filio hic reli-
cto ad ṗmū filiū ſuū aſcēdit et ꝓceſſu tpm etiā ille filius
illuc vſqꝫ ad eam ꝑuenit et in celo duos filios habuerit
vnū naturalē ⁊ iſtū adoptiuū et vbi ſūt obſecro plures

uel ſi plures nō ſūt quōvez erit multi filij deſerte magis
ꝙ ei q̄ habet virū cū plurime inueniant viꝝ hūtes cum
turba magna filioꝝ an forte et nos filij ei⁹ eſſe poſſum⁹
omnes Sitī vulm⁹ vtiqꝫ dn̄e nā ſi'c clamant fideles di'
centes O dn̄a ꝛ mater miſerē nob Si autē mater dn̄i
etiā nobis miſeris in matrē data eſt. dic obſecro vbi eſt
attn̄ hoc Certe credo qd ex hoc loco vbi dictū eſt Ecce
mater tua Reuolue eni huí⁹ textū ſacri euāgelij de quo
ſermo eſt ꝛ ꝓpriū nomē eius cui vgo in matrez aſſignat
Hoc nuſꝙ expreſſū inuenias ſed ꝑ quādā circūlocutionē
deſcribit. ꝙ etiā alijs ꝙ iohāni cōmēdari poteſt· hoc di'
ctantē ſpiritu ſctō ut q̄cūqꝫ cū iohāne hui⁹ deſcripcionis
ꝑticeps fuerit· cū iohāne quoqꝫ filij marie ſūt Hec deſcri
ptio de qua loquor hec eſt. diſcipulū ſtantē quē diligebat
ihūs. diſcipulus ihū ex fraterna dilectōe uel caritate ꝓ'
bat ſicut ipſe ait In hoc cognoſco om̄s ꝙ mei eſtis diſ'
cipuli ſi dilectōm habueritis ad inuicē Tūc aūt diſcipu
lus iuxta crucē ſtabat. qn̄ carnē ſuaz crucifigit cū vicijs
et ꝯcupiſcēcijs ꝓpter xp̄m· Sꝫ tūc ihūs diſcipulū diligit
qn̄ diligitur ab ipō Sicut Salomō in perſona eius ait
Ego diligētes me diligo Multis ergo cognoſcē fratres
verū filiū virginis Ille eſt qui ꝑter hoc ꝙ ſeipm̄ vginis
obſequio mācipauit deū ex toto corde diligit. voluptatez
carnis abdicat. ad quēlibet ꝓximum miſcdie opa ꝓ ut
poteſt extendit Certe de iſto dicit criſtus ad mariā Mu
lier ecce filius tuus Quid dicis nūc O falſe fili marie q̄
maternitatis ei⁹ nomē falſe vſurpas odiū geſtas i cor'
de. ꝛ dolos in ligua. ꝯtra ꝓximū. omnē voluptatē exer'
cens. ꝯtra teipſum mādata negligēs· ꝯtra deum Quid
dicis Rogo dictate michi aliq̄d de dn̄a mea. cātate mi'
chi de illa. hoc michi de illa edificate. hec et hec facite et
ſeruiā vobis ſemꝑ. tanꝙ ad te ſpecialit̄ illa vgo ꝑtineat
q̄ nullū tecū habet cōmertiū Quid blaſphemas miſer
inuocando matrē cuius filio repugnas. An ignoras qꝛ

blaſphemans lapidari debet Educ inquit dñs blaſphe-
mū extra caſtra ⁊ lapidibus eū obruet omīs multitudo
quē ⁊ ſi modo nō lapidabit filius marie. in die iudicij qñ
in ꝯſpectu omniū de te ⁊ tuis ſimilibus querulabit dicēs
Filij matris mee pugnauerūt contra me Nos ergo fra
tres cariſſimi ſumus diſcipuli ſtātes iuxta crucē. quos
diligit iheſus. vt ſic illud dulce ꝟbum vnuſquiſq₃ veſtꝝ
a iheſu audire mereat Ecce mater tua O ꝟbum omni
acceptione dignū Si maria eſt mater tua ergo iheſus ē
frater tuus. ergo pater eius pater tuus. ergo regnum
eius eſt hēditas tua Ecce mater tua. ergo maria ē the-
zaurus tuus Matres aūt thezauriſant filijs Ecce mat
tua. cui omnis neceſſitas tua vſq₃ ad coꝛ eiꝰ aſcēdit Cō
mota ſūt quippe viſcera eiꝰ ſup filio ſuo Ecce mater tua
O verbum omni acceptioni dignū Si maria eſt mater
tua ergo dilige et venerare tāꝙ pꝛeſentē tibi vbiq₃ neq₃
expecta amplius. ab hac hoꝛa accipe eam in tuā. ut illa
te ſumat tandē in gloꝛiā ſuā. vbi regnat cū filio ſuo qui
eſt ſup omnia benedictus in ſeculoꝝ ſecula Amen.

Biblio... Uniw. im. A. Mickiewicza w Poznaniu